



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Variæ Scholasticorum sententiæ. cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

vna persona. Nec iterum secundum rationem tantum, quia sic persona esset vniuersale. In diuinis autem non est vniuersale, nec etiam particulare, neque genus neque species, vt supra ostensum est. Non ergo hoc nomen, persona est commune tribus.

L. 7. de Trin.
c. 4. & seq.
Ch. 1. 5. c. 9.
in fi. 10. 3.

Sed contra est, quod dicit Aug. 7. de Tri. quod cum quæreretur quid tres, respondit, tres personæ: quia commune est eis id quod est persona.

Respondeo dicendum, quod ipse modus loquendi ostendit hoc nomen, persona, tribus esse commune, cum dicimus tres personas. Sicut cum dicimus tres homines ostendimus hominem esse commune tribus. Manifestum est autem, quod non est communitas rei, sicut vna essentia communis est tribus: quia sic sequeretur vnā esse personam trium, sicut essentia est vna. Qualis autem sit communitas, inuestigantes diuersimode locuti sunt. Quidam enim dixerunt, quod est communitas negationis propter hoc, quod in definitione personæ ponitur incommunicabile. Quidam autem dixerunt, quod est communitas intentionis, eo quod in definitione personæ ponitur indiuiduum, sicut si dicatur, quod esse speciem est commune equo, & bono: & virumque horum excluditur per hoc, quod hoc nomen, persona, non est nomen negationis neque intentionis: sed nomen rei. Et ideo dicendum est, quod etiam in rebus humanis hoc nomen persona, est commune communitate rationis: non sicut genus vel species, sed sicut indiuiduum vagum. Nomina enim generum, & specierum, vt homo, vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium, quæ significantur his omnibus: genus, vel species. Sed indiuiduum vagum, vt aliquis homo significat naturam communem cum determinato modo essendi, qui competit singularibus, vt scilicet sit per se subsistens distinctum ab alijs. Sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens. Sicut in nomine Socrates, hæc caro: & hoc os. Hoc tamen interest, quod aliquis homo significat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ cum modo existendi, qui competit singularibus. Hoc autem nomen persona, non est impositum ad significandum indiuiduum ex parte naturæ, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem omnibus personis diuinis, vt vnaquæque earum subsistat in natura

diuina distincta ab alijs. Et sic hoc nomen persona, secundum rationem est commune tribus personis diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de communitate rei.

Ad secundum dicendum, quod licet persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis.

Ad tertium dicendum, quod licet sit communitas rationis & non rei, tamen non sequitur, quod in diuinis sit vniuersale, vel particulare, vel genus, vel species: tum quia neque in rebus humanis communitas personæ est communitas generis vel speciei: tum quia personæ diuinæ habent vnum esse: genus autem, & species, & quodlibet vniuersale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.

Conclusio articuli est: Nomen persona, non solum voce commune est tribus personis, sed etiam significat rationem quandam communem illis, nempe modum subsistendi incommunicabiliter. Quæ quidem conclusio, & totius articuli doctrina disputatione sequenti examinanda est.

DISPUTATIO CXXX.

An nomen *Persona*, significet rationem realem communem tribus diuinis personis.

Varie Scholasticorum sententia, cap. 1.

Nomen persona significare quid commune tribus personis diuinis, non quid rationis, sed denominationis, vt sententia est. c. 1.

Solutio argumentorum tertie sententia. c. 3.

CAPVT I.

Varie Scholasticorum sententia.

Iuxta varias opiniones, quas disputatione 127, capite primo numerauimus, de significato nominis, *Persona*, varie quoque Doctores in presenti controuersia sentiunt. In primis autem apud omnes certum est, significatum huius nominis non esse commune tribus personis re ipsa, de quo nullo modo quæstio est: nec oppositum docuit Alexand. prima par. quæst. 16. memb. 4. articulo 2. quāuis perperam à nonnullis in commenticulis referatur. Controuersia autem est, an significatum, nominis sit commune tribus personis per rationem, sicut genus speciei, vel quodcunque vniuersale prædicatur est commune particularibus.

In qua sane quæstione 1. Scotus in 1. d. 13. quæst. 1. & Gabr. qu. 1. arti. 1. & 2. docent nomen personæ tam in humanis, quam in diuinis, formaliter nec significare secundam intentionem, quales est generis, & speciei, nec aliquid re. le. positum, vel negationem solam communem omnibus personis, vt in illo cap. 1. disputationis 127. explicauimus. Sed in illo cap. 1. disputationis 127. explicauimus. Sed in illo cap. 1. disputationis 127. explicauimus. Sed in illo cap. 1. disputationis 127. explicauimus.

legitur. hoc articulo quia nomen personæ, non negationem formaliter, sed aliquem modum positum significat, ut latius ostendemus in 3. part. quæst. 3. artic. 2.

Cæteri Scholastici putant, nomen, *Persona*, aliquid positum significare, in eius tamen explanatione variant. Hæntic enim quodlibet 5. qu. 6. censet, nomen hoc significare intentionem communem omnibus personis, cumq; in eadem questione dicat duplicem esse intentionem, primam & secundam, & hanc posteriorem esse ens rationis, quale est genus, species & indiuiduum, videtur plane asserere, nomen, *Persona*, significare ens rationis; quia persona indiuidua substantia rationalis naturæ. Hæc etiam opinio tribuitur Durando in 1. distinct. 2. qu. 1. n. 5. ibi tamen solum asserit, hoc nomen significare intentionem, non explicans, utrum primam, an secundam; infra vero videbimus, an eius sententia ab opinione S. Thomæ, quæ verior est, aliquo modo differat.

Tertia igitur sententia est, nomen hoc significare aliquid reale commune secundum rationem omnibus personis ita docent Alexad. 1. part. q. 56. membr. 4. art. 2. Bonauent. in 1. distinct. 25. artic. 1. quæst. 1. S. Thom. & Caietan. in hoc articulo, Cap. col. in 1. distinct. 25. quæst. 1. art. 1. Marsilius in 1. quæst. 17. art. 2. concl. 2. nec ab ea opinione differt Durandus, ut inferius explicabitur, quam recentiores etiam Thomistæ sequuntur. Sed adhuc, & hi inter se dissentiunt. Nam recentiores aliqui cum Caietano affirmant, nomen, *Persona*, significare aliquid positum reale commune secundum rationem tribus personis Trinitatis, quod quidem non solum sit superius quiditativè tribus personis, ut significantur hoc nomine, *Persona*, sed etiam, ut significantur nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ita ut hæc predicatio sit quiditativa, *Pater auctus est persona*, & hæc, *Paternitas est personitas*. Fundamenta vero præcipua huius opinionis ad hæc duo reduci possunt, primum, aut nomen, *Persona*, prædicatur denominatiue de Patre & Filio, & Spiritui sancto, aut quiditativè; nam alio modo dici non potest; non prædicatur denominatiue, quia si hoc modo solum prædicaretur, cõcretum diceretur de concreto, nempe persona de Patre, sed non abstractum de abstracto, videlicet personitas de relatione; sic enim videbimus in alijs denominatiuis, in quibus cõcretum de concreto prædicatur, sed non abstractum de abstracto, ut album de pariete; non tamen albedo de abstracto parietis; atqui de relationibus etiam in abstracto prædicatur personitas; dicimus enim, *Paternitas est personitas*, ergo illa prædicatur in quid; quæ enim in abstracto de alijs prædicatur, ad quiditatem pertinent. Quo fit, ut eodem gradu nomen, *Persona*, quod concretum significat, prædicatur de Patre; quo personitas de paternitate dicitur. Eodem argumento probatur significatum nominis, *Persona*, quiditativè prædicari de Petro, aut de quouis altero homine singulari, non nomine, *Petrus, Paulus, &c.* Vnde non minus hæc est quiditativa, *Petrus est persona*, quam hæc, *Persona Petri est persona*. Idem de personitatibus singulari ratione dicendum est.

Deinde, aut ratio communis personæ, & personitatis in Deo contrahitur ad esse huius, & illius, ut in 1. partem Tom. II.

lius personæ, & personitatis per absolutum, aut per relatiuum, vel denique per aliquid utriusque commune; per aliquid commune non potest, ut patet; quia illud, quod contrahitur, debet esse singulare; per absolutum etiam nequit fieri, quia alioqui sequeretur, personas diuinas constitui, & distinguui proprietatibus absolutis, quod absurdum esse probabitur infra disputat. 13. cap. 3. Superest igitur, rationem personæ & personitatis vniuersim contrahi ad hanc, & illam personitatem, & personam diuinam relatione; ergo signum est illa duo prædicari quiditativè de relationibus, quibus adesse talis, & talis determinatur; id enim quod contrahitur, quiditativè dicitur de contrahente. Cætera argumenta, quæ fieri solent pro hac sententia, solum probant, relationes personales esse personitates; non autem de ipsis, ut significantur nomine relationis prædicari quiditativè significatum nominis, *Persona*.

CAPVT II.

Nomen, *Persona*, significare quid commune tribus relationibus diuinis, non quiditativè, sed denominatiue, verior sententia est.

Multo probabilior mihi semper visa est sententia, quæ docet, nomen, *Persona*, significare quidem conceptum communem huic, & illi personæ, ut significantur eodem nomine; non tamen significare rationem communem quiditativè paternitati, & filiationi, ut significantur his nominibus relatiuis. Pro hac sententia non possumus referre Scholasticos præcedenti cap. allegatos; illi enim excepto Caietano, & Durando, solum docent, nomen *Persona*, significare conceptum communem tribus personis, quod vno, & alio modo potest intelligi. Solus Caietan. peculiarem secutus est opinionem, quam iam retulimus: Durandus vero pro hac nostra sententia explicari potest. Sed, ut eam ratione confirmemus, notandum est in prædicamento substantiæ esse primam, & secundam substantiam: Prima est indiuiduum illius, secunda vero quodcumque vniuersale prædicatum usque ad generalissimum: nomen autem, *Substantia*, & significatum illius commune est prima, & secunda substantia. Quo fit, ut nomen, *Substantia*, non significet aliquid commune essentialiter, vel quiditativè; nam generalissimo illius prædicamenti, & singularibus illius nihil potest esse commune essentialiter, & quiditativè præter ens, præsertim, quod proximè respiciat præter ens, & secundam substantiam, hoc est indiuidua, & vniuersalia prædicata substantiæ, ut satis liquet. Nomen igitur, *Substantia*, in vniuersum significat modum quandam realem, qui quasi denominatiue de prima, & secunda prædicatur. Desumitur autem hæc demonstratio ex actu, & quasi officio substantiæ, quod est subsistere, vel subflare, hoc est, sub alio esse, quod commune est primæ, & secundæ substantiæ, hoc est ei, quod est, primo & secundo subflare. Eodem modo, *Hypostasis*, seu *Subsistentia*, significat, quid commune Petro, & Paulo, quasi denominatiue, hoc est, singulariter, & indiuiduè existere. Quare hæc est differentia inter nomen, *Persona*, nomen, *Petrus*, quod hoc significat ipsam rem, cui conuenit denominatio personæ; illud vero denotat ipsam denominationem, & modum subsistendi incommunicabiliter, Tum etiam

Caietan.

Durand.

Substantia denominatiue dicitur de prima & secunda substantia.

7.

Subsistentia qua ratione communis est Petro, & Paulo.